

De pubertate morbosa : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Joannes Jacobus Heilgers.

Contributors

Heilgers, Johann Jakob.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Litt. Augusti Petschii, 1828.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pqefzb2r>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



R

DE
P U B E R T A T E
M O R B O S A.

D I S S E R T A T I O
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XIV. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST.

AUCTOR
JOANNES JACOBUS HEILGERS,
JULIACENSIS.

OPPONENTIBUS :

F. PÜLLENBERG, MED. ET CHIR. CAND.,
L. VAGEDES, MED. ET CHIR. CAND.,
C. DÜNKELBERG, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
LITTERIS AUGUSTI PETSCHII.

PUBLISHED BY

W. B. BROWN

DISSEMINATED

BY THE

Author

AND BY THE

SEVERAL MEDICAL SOCIETIES

AND INDIVIDUALS

IN

VARIOUS PARTS OF THE

UNITED STATES

AND IN THE

WEST INDIES

AND IN

EUROPE

AND IN THE

WEST INDIES

AND IN THE

WEST INDIES

AND IN THE

WEST INDIES

AND IN THE

AVUNCULO CARISSIMO

G. FREUDENBERG.

MEDICINAE DOCTORI, GEILENKIRCHENAE PHYSICO,

4
HOC

PIETATIS SPECIMEN

DEDICARE GESTIT

AUCTOR.

CAPUT I.

§. 1.

Certo vitae tempore in organismo humano singularis oritur metamorphosis mutata humorum et nutritionis ratione insignis.

§. 2.

Arcessitur ergo diathesis ad certos morbos, quos, hanc metamorphosin frequenter comitantes, nosologi nomine morborum evolutionis designant.

§. 3.

Pubertas, qua systema partium genitalium imprimis praetereaue alia quaedam systemata afficiuntur, in iisdem potissimum morborum locum constituit.

§. 4.

Antequam de morbis, quos in hoc libello breviter exponere mihi proposui, amplius disseram, physiologica quaedam de pubertate praemittenda puto.

§. 5.

Organismus muliebris functionibus, quae ad propagandam speciem spectant, potiori gradu dicatus, prius describi meretur virili.

§. 6.

Organa sexualia partesque ambientes aliam structuram, aliamque formam ostendunt; functiones autem, antea nullius fere momenti, in pubescentibus apparere solent.

§. 7.

Vasorum copia aucta auctusque sanguinis affluxus auctam nutritionem, incrementum molis et majorem turgorem vitalem illorum organorum efficiant necesse est.

§. 8.

Forma eorum vario modo mutatur:

Uterus puellarum impuberum corpus fere cylindricum eximia densitatis et duritiei exhibet; pubertate triangularis redditur; partes ejus singulae, cervix, corpus, fundus, accuratius distinguuntur, varia cavitatis amplitudo variaque parietum crassities et densitas prodeunt.

§. 9.

Ovaria usque eo oblonga, plana, cellulosa, tunc

figuram magis ovatam et structuram acinorum similem obtinent.

§. 10.

Vaginae longitudo et amplitudo augetur. Cryptae mucosae in his organis internis, quae vocantur, magis perspicuae.

§. 11.

Labia externa colorem subfuscum induunt, ceteroquin cum nymphis et clitoride causis supra relatis augmentum molis ostendunt.

§. 12.

Mons veneris majorem convexitatem et capillos crispas, hinc inde retro ad anum tendentes, offert.

§. 13.

Cavitas pelvis, cui organa sexualia sunt insita, eodem tempore amplitudine augetur, partes autem extrinsecus sitae, muscoli et panniculus adiposus, simul increscunt, qua de re coxae latiores apparent.

§. 14.

Mammaram convexitas et magnitudo augetur; papillae luculentiores; areolae colore fusco notantur. Glandebalae etiam nascuntur.

§. 15.

Quaternis aut quinis hebdomadibus in utero

oriri solet status fere subinflammatorius majori sanguinis affluxu, deinde plures per dies stillicidium secreti in facie interiori sanguinis. Eodem tempore secretio cryptarum mucosarum augetur, mammae quoque aliquantulum turgescunt et praecipue sub finem fluxus menstrualis Veneris desiderium exardescit.

§. 16.

Quum autem organa sexualia brevi tempore tam evidenter increscant et majori sanguinis copia ad nutritionem egeant, organa quoque, ad haematosin et circulationem pertinentia, magis evolvi eodem tempore necesse est; cordis et pulmonum incrementum aucta thoracis convexitate manifestatur.

§. 17.

Systema nervorum pubertate affici, praecipue phaenomenis, in vita psychica obviis, elucet.

§. 18.

Organismus virilis serius et diutius evolvitur. Etenim si organa sexualia intuemur, incrementum et mutatum colorem, auctam nutritionem et turgorem vitalem observamus, partes circumdantes usque ad anum et umbilicum una cum mento, axillis et thorace capillis ornari, tamen majori ex parte in reliquorum systematum evolutionem vergere videmus.

§. 19.

Secretio seminis, ejusque et humorum, qui in prostata et glandulis *Cowperi* secernuntur, ejaculatio, quae inter coitum aut oblata animo inter somnum libidine fieri solet, summae sunt dignitatis, attamen evolutio organorum sexualium, qua illa inducuntur, non ita excedit evolutionem reliquarum organismi partium, ut in corpore muliebri.

§. 20.

Systema circulationi dicatum et, quod semper cum eo intimam rationem alit, systema respirationis, multo majorem evolutionem, quam in foemina ostendunt, elongatur et dilatatur thorax, in collo prominentia illa laryngis, pomum *Adami* dicta, apparet, simul vox gravior redditur majori omnium organorum respirationis ambitu. Musculorum et intellectus summa energia tunc virum compellit, ut magis ad res alienas quam familiares animum advertat.

§. 21.

Transeamus ad scopum hic propositum, ad expositionem singulorum morborum, qui pubertatem comitari solent. Frequentiores hos esse mulieribus et plerumque a primaria genitalium affectione proficisci, videmus, rariores in viris, sedem earumque primitivam praecipue in pectore.

§. 22.

Varietates innumerae, quas observatio nobis offert, in hasce species redigendae mihi videntur:

a) in muliere:

- 1) Menstrua praecocia.
- 2) Menstrua retardata.
- 3) Chlorosis.
- 4) Hysteria.

b) in viro:

Status morborum ex erethismo systematis genitalis.

c) in utroque sexu:

- 1) Phthisis tuberculosa.
- 2) Morbi quidam mentis.

§. 23.

Nunc generalia quaedam de causis, diagnosi, prognosi et cura pubertatis morbosae praemittam.

§. 24.

Duplex causarum genus esse mihi videtur: vel status cachectici aut cacochymici congeniti, aut acquisiti ante pubertatem, vel res adversae externae ipsi supervenientes pubertati, perversum corporis atque animi regimen.

§. 25.

Quod diagnosis attinet, morbi isti una cum pubertate apparent et mutuam cum ea alunt rationem.

§. 26.

Prognosis rebus externis faventibus plerumque satis bona affulget, nisi status secundarii infesti jam sunt exorti, aut morbus per se immedicabilis est.

§. 27.

Cura, ut alias, inprimis ad causas conformari debet. Regimen praesertim consentaneum corporis atque animi, et remedia statum cacochymicum aut cachecticum, qui cum morbo nexum alit causalem, corrigentia, hic sunt adhibenda. Symptomata graviora, aut molestiae mitigentur, aut tollantur; denique status secundarii jam exorti respiciantur.

CAPUT II.

MENSTRUA PRAECOCIA.

§. 28.

Fluxus menstrualis, praeter graviditatem functio gravissima systematis genitalis, tunc praecox dici potest, cum apparet, antequam organismus totus satis sit evolutus, justaque gaudeat energia hujus functionis sine damno et molestia ferendae.

Ceterum aetas, qua normae convenienter apparere debeat, certo determinari non potest.

Infitari non licet, casus plerosque, quibus menses prima infantia jam apparuisse narratur, haemor-

rhagias exhibuisse symptomaticas, vitiis fabricae organorum sexualium internorum ortas, quod *Naegele*, vir de arte obstetricia meritissimus et mihi summe venerandus praeceptor, in libro „Erfahrungen und „Abhandlungen aus dem Gebiete der Krankheiten „des weiblichen Geschlechts etc. etc.” demonstravit. Est autem hac in urbe puella duorum annorum, cui non modo menses regulares, verum etiam evolutio organorum omnium sexualium talis est, qualis foeminae adultae esse solet.

Exoriri solet vitioso mensium fluxu prava digestio et nutritio, cachexia, fluor albus, chlorosis, phthisis, hydrops, alia.

Praedispositionem puellis cachexia aut dyscrasia quadam, ut scrofulosa, impertiri videmus.

Causae occasionales cernuntur in stimulis, qui Veneris libidinem nimis mature excitant. Vitia fabricae organorum sexualium, quibus haemorrhagiae symptomaticae gignuntur, ad rem nostram non pertinent.

Diagnosis partim e supra dictis, partim e typica profluvii indole colligitur.

Prognosis ob difficilem causarum debellationem dubia.

Curam et causis praedisponentibus et occasionalibus, nec non vitiis secundariis congruere oportet.

MENSTRUA RETARDATA.

§. 29.

Retardantur menses, si in organismo relativam evolutionem adepti, ut functionibus sexualibus praesse possit, nondum apparent.

Causarum et symptomatum hoc in casu triplex genus.

1) Vel organismus, fines evolutionis assequutus, cachexia quadam laborat, qua impeditur, quo minus omnes functiones sexuales rite absolvantur.

Conjicere licet, maturitatem eapropter nondum contigisse, quod haecce nequaquam certa aetate, sed pari omnium systematum energia suppeditetur.

Quamquam autem hoc in casu organismus non tantum virium impendere potest, ut menstrua rite fluant, causa menostasiae magis cerni mihi videtur in alienatione morbosa, quam retardata organismi evolutione. Opus enim est consentanea cura tam diaetetica quam therapeutica, qua status ille cachecticus amoveatur, nisi semper mensium defectu organismum conflictari velis.

Saepe fluor albus et ne molimina quidem catameniorum adsunt.

Fluore albo et statu cachectico methodo resolvente et roborante sublatis, pellentia requiruntur.

2) Organismus, qui bona valetudine frui videtur, perverso sanguinis cursu menostasia laborat.

Saepe quidem adsunt molimina, sed vel affectione spastica aut plethora passiva ad genitalia men-

ses non fluunt. Saepe haemorrhagiae ex aliis organis, praecipue quibus inest diathesis morbosa, catamenia sic dicta extravagantia, adsunt.

Methodus antiphlogistica et derivans, venaesectiones in pede, hirudines aut cucurbitae cruribus applicatae, pediluvia calida, nonnumquam remedia antispastica, hic sunt indicata.

3) Impedimentum mechanicum, obturatione aut atresia orificii uteri aut vaginae effectum, hymene imperforato sanguis cohibetur, quo minus effluat. Hoc ita tantum ad rem nostram pertinet, ut vitia illa primae conformationis usque ad pubertatem nihil respiciantur, tunc autem cura chirurgica idonea submoveantur.

CHLOROSIS.

§. 30.

Inter morbum istum et pubertatem plerumque nexus causalis intercedit. Attamen aliis quoque temporibus observatur, quod huc non pertinet.

Pallor eximius totius corporis, functiones organorum digestionis laesae, vitiosa haematosi et nutritio, defectus cruoris in sanguine, anomaliae mensium, saepe fluor albus, lassitudo maxima, quae animi incitatione facile propellitur, anxietas et dyspnoea, affectiones spasticae, animi tristitia, denique vitia secundaria, phthises, hydropes, dilatationes cordis, phaenomenorum seriem constituunt.

Nexus ei duplex causalis intercedit cum primordiis mensium in pubertate, vel primaria ante-

cedit primae menstruationi et causis retardati profluvii adnumeranda est, vel secundaria ex anomaliis mensium proficiscitur. Eadem e mensuris praecocibus, aut tempestive quidem apparentibus, sed aliquo modo perturbatis, originem ducere potest.

Arcessitur illa perturbatio mensium, antea regularium, vel stimulis, imprimis libidinosa animi affectione, qua inter initia saepius et copiosius fluunt, deinceps flui albi albo cedere solent, vel causis corporis atque animi energiae damniferis, ut pravis nutrimentis, sollicitudine, animi moestitia, amore infelice etc. etc.

Sublatis causis et complicationibus, roborantia, ferrum imprimis, dein pellentia requiruntur,

H Y S T E R I A.

§. 31.

Affectiones nervosae et psychicae, maxima varietate et vicissitudine insignes, saepe laesae intestinorum abdominalium functiones, quae ab anomalia functionum sexualium pendent, hysteriae imaginem constituunt.

Spasmi cujuscunque generis tum fere epilepsiam, tum tetanum imitantes, tum magis in partibus singularibus et praecipue in ventriculo et oesophago apparentes (globus hystericus, cardialgia hystERICA), dolores fixi aut vagi, hemicrania, clavus hystericus, animus maxime variabilis nunc tristis, nunc hilaris, cujus rei causae nos fugiunt, appetitus perversi, catalepsis, animi

deliquia, asphyxia etc. in eadem foemina hysterica saepe inveniuntur.

Praedispositio ad hunc morbum saepe congenita, ex habitu induto nervoso et constitutione tenera dignoscitur.

Causae occasionales pendent ab anomaliis mensium aut aliis affectionibus systematis genitalis, a perverso regimine corporis, aut affectionibus psychicis, ut amore infelice lectione crebra fabularum Milesiarum, quae dicuntur etc.

Cura praecipue symptomata, morbus raro penitus tollitur. Inter nervina nauseantia, ut valeriana, chamomilla, asa foetida, et alia, primum tenent locum.

CAPUT III.

§. 32.

Pubertas praecox aut retardata virorum raro studii materiam praebet, etenim fines normae nullo modo possunt determinari, quum nulla functio tam typica adsit, quam menstruatio, quae medico agendi viam indigitet.

STATUS MORBOSI EX ERETHISMO SYSTEMATIS GENITALIS.

§. 33.

Imaginationis praedominium ea aetate, qua sexus virilis pubescere solet, nisi bona corporis atque animi

animi ratione temperetur, saepe organorum sexualium hyperaesthesin gignit.

Principio aegrotantes nocturno tempore frequentius ejaculantur semen, quod organismo nondum satis evoluto damni plurimum infert, partim dispendio humoris, partim incitatione nimia systematis nervosi.

Sensim sensimque ille erethismus, nisi libido cohibeatur, augetur, pollutiones nocturnae frequentiores, dein nonnunquam, oblata quadam re libidinosa, diurnae.

Jactura maxima virium, dispositio ad affectiones nervosas, laesa digestio et nutritio, habitus cachecticus, denique phthises, hydrops, gonorrhoea, tabes dorsualis, ex hac causa originem ducere possunt.

Praedispositio in tenero organismi habitu, hyperasthesi systematis nervosi cum nimio imaginatio- nis vigore ponenda est.

Causae occasionales sunt: onania, consuetudo familiaris cum altero sexu praematura, lectio librorum obscoenorum, nutrimenta nimis excitantia etc.

Curetur ita, ut erethismus ille consentaneo corporis atque animi regimine auferatur, omnia stimulantia arceantur, secretiones et excretiones rite gubernentur, respiciantur laesae organorum abdominalium functiones. Deinde lavationes genitalium frigidae, remedia sedantia, hyoscyamus, chamomilla, camphora, denique roborantia, china, rheum, calamus, ferrum, adhibeantur.

CAPUT IV.

PHTHISIS TUBERCULOSA.

§. 34.

Funestissimus hic in primis juvenili aetati morbus, intra pubertatem praecipue sexui virili frequentissimus, ex intimo commercio ejus cum evolutione organorum pectoris proficiscitur.

Hominibus quoque aetate provectoribus non raro supervenire solet hic morbus, causis autem ac decursu multum a nostro differt.

Causa proxima tuberculorum ignota quidem, tamen statu pulmonum subinflammatorio ex aliqua dyscrasia niti videtur. In aliis organis quoque, etsi rarius, tales pseudorganisationes apparent.

Primo inveniuntur in tela cellulosa, quae vasa pulmonalia et ramificationes bronchiorum circumdat et in bifurcatione quidem bronchiorum concrementa parva, albida, albuminosa, nonnunquam calculosa. Pseudorganisatio illa paullatim luxuriando telam cellulosa pulmonum semovet, impeditur circulatio per vasa pulmonalia, quippe quae ex parte obliterantur, sanguinis ergo venosi in arteriosum mutatio cohibetur.

Affectiones pectoris principio non adeo molestae esse solent. Exigua dyspnoea inter scandendum, quandoque dolores lancinantes, aut pressio quaedam in regione sterni, tussis levior. Augentur

haec symptomata causis circulationem sanguinis accelerantibus.

Laesa nutritio, ex impedita sanguinis venosi in arteriosum mutatione originem petens, sine ulceratione pulmonum tabe quadam sicca et hydrope universali mortem inducere potest.

Multo frequentius autem irritatione, quam tubercula in vicinas partes exerunt, inflammationes gignuntur; tum haemoptysis, tussis, dyspnoea ulcerationis introitum nuntiant. Vomicam ortam esse, e sensu pressionis, ex oedemate pectoris et manus affecti lateris, e cohibito aegrotorum cubitu ad latus sanum, e febris lenta etc. dignoscimus.

Ruptis ulceratione integumentis bronchiorum, massa emollita tuberculosa sputorum globosorum specie, quae cerevisiae faecibus similia sunt, eructatur, dein pus genuinum, quod circa vomicae seceratur. Varices vasorum finitimorum saepe graves haemorrhagias efficiunt. Nonnunquam vehementi tussi massa tuberculosa, antequam ulceratio exstat, specie parvorum concrementorum cum bronchiali mucositate egeritur. Interdum vomicae contenta in cavum thoracis exonerantur et empyematis phaenomena fingunt.

Decursus morbi fere semper est rapidissimus et mors colliquatione et febris hectica mox inducitur. Sperare non desinunt aegroti fore, ut convalescant. Quum decursus rapidus sit et aegroti magis febricitent, quam in tuberculosa phthisi, qua

homines aetate proveciores laborant, phthisis haec florida nominari solet.

Morbus noster hereditarius est et praedispositio habitu sic dicto hectico notatur.

Methodo antiphlogistica, sedanti et derivanti curetur, ne in ulcerationem abeat morbus; ulceratione jam exorta, expectorantia, nutrientia et roborantia dentur. Digitalis, acidum hydrocyanicum, hyoscyamus, fonticuli et missiones sanguinis parcae cum victu eupeptico, qui alvum non obstruat, maxime prosunt, si vel praedispositio aut primitiae morbi, exstant.

MORBI QUIDEM MENTIS.

§. 35.

Exaltationes animi, vesania, erotomania, melancholia mystica et religiosa, denique pyromania, recentioribus temporibus apud Anglos observata, huc pertinent, de quibus fusius disserere, ab harum pagellarum consilio alienum videtur.

CURRICULUM VITAE.

Ego, JOANNES JACOBUS HEILGERS, Juliaci natus sum d. XXIX. Octobris a. MDCCCIV. patre PETRO HEILGERS, matre MARIA, e gente KÖNIG. Quum mihi nondum adulto mors abstulisset parentes, avunculus JACOBUS KÖNIG, dum lege Napoleoniana mei juris essem, bonus ac providus mihi tutor fuit.

Primitiae litterarum privatis scholis mihi traditae sunt. Scholis Weilburgensibus et Düsseldorpiensibus illustrissimis per biennium frequentatis, per semestre privato studio deditus, in universitatem litterariam Rhenanam me contuli, ubi semestri hiberno a. MDCCCXXIV Rectore Magnifico A. G. A SCHLEGEL numero civium adscriptus, per duo semestria in medicinam incubui.

Tum Heidelbergam petivi, ibique receptus a MITTERMAIERO, Ruperto-Carolinae t. Prorectore, per biennium scholas medicas frequentavi.

Relicta universitate Heidelbergensi, ad hanc Berolinensem me contuli* et Rectore Magnifico a BETHMANN-HOLLWEG numero civium adscriptus sum.

Intra Quadriennium studiis medicis dicatum, haecce mihi traditae sunt disciplinae:

Anatomiam generalem et specialem mihi tradiderunt Cl. MAYER et Cl. TIEDEMANN; artem cadavera

secandi Cl. FOHMANN; Physiologiam Cl. NASSE. Botanices generalis mihi praeceptorem habui Cl. DIERBACH; Botanices pharmaceuticae Cl. NEES AB ESENBEEK jun; Physices Cl. MUNCKE; Chemiae Cl. BISCHOF; logices Cl. CALKER. Anatomiam comparatam Cl. RUDOLPHI me docuit; pathologiam et therapiam generalem Cl. HARLESS; pathologiam et therapiam specialem Cl. PUCHELT; scholas clinicas et policlinicas medicas eodem moderatore per tria semestria frequentavi. Materiam medicam Cl. DIERBACH; ophthalmosologiam Cl. CHELIUS et Cl. JÜNGKEN me docuerunt. Chirurgiam mihi tradidit Cl. A WALTHER, nec non de fracturis et luxationibus doctrinam. Akiurgiae et clinicae chirurgicae et ophthalmiatricae per tria semestria Cl. CHELIUS moderator mihi fuit. Non minus clinicen chirurgicam Cl. RUSTII in nosocomio caritatis Berolinensi per duo semestria frequentavi. Artis obstetriciae theoriam et praxin per duo semestria me docuit Cl. NAEGELE; medicinam forensem et doctrinam de morbis infantum Cl. CASPER.

Quibus omnibus pio animo gratias quam maximas solvo.

Tentamine et examine rigoroso absolutis, nihil, quominus summi in medicina honores in me conferantur, obstare videtur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Trismus et tetanum traumaticum methodum antiphlogisticam haud plane respuere, existimo.

II.

Hypochondriasis ab impedita sanguinis circulatione pendet.

III.

Tumorum natura solummodo ex decursu satis dignoscitur.

IV.

Situs lateralis in parturitione dorsali praeferendus.





